cio habes duo jam rectangula in M. ſcilicet P M Z, & S M Z: quæ & perpendicularem Z M, & angulos verticales P Z M, & S Z M, aut, ſi libet, ipſum P Z S, patefaciunt (per nonam cap. 4. & octavam cap. 5 hujus.) Sed his omiſſis ad quæſitos baſis angulos Z P S, & Z S P, redeamus. Caſus P M, 26, 26′, 29″. jam acquiſiti differentialem 6985518 (per 9, cap. 4,) adde ad differentialem complementi P Z, ſcilicet ad differentialem 56, qui eſt — 3937709, provenient + 3047809 Logarithmus complementi anguli Z P S, quod complementum eſt 47. 36′. 1″. ſimiliter caſus S M, 42, 33′, 31″, jam etiam acquiſiti differentialem 853239 (per eandem nonam ſect.) adde ad differentialem complementi P Z, ſcilicet ad differentialem 43 gr. qui eſt 698698, provenient + 1551937 Logarithmus complementi anguli Z S P, quod complementum eſt 58. 53′. 55″. Memor autem hîc ſis non ipſas partes P Z. 34. & Z P S, aut P Z 47. & Z S P, ſed ſua complementa, viz. 56 gr. & 47. 36′. 1″. & 43 gr. & 58. 53′. 55″. circulares partes hîc dici per ſecundam cap. 4. hujus. Verus itaque angulus quæſitus Z P S eſt 42. 29. 59″. & Z S P eſt 31. 6′. 5″. ut etiam ex ſect. octava, cap. 5. hujus patet.

Aliud ejuſdem trianguli exemplum.

EOdem triangulo P. Z. S. alio ſitu conſtituto, ſit S. Z. baſis, & datis lateribus ut ſuprà, quæratur angulus P. Z. S. Crurum itaque S. P. 69. & P Z. 34. ſemi-aggregatum eſt 51. 36, ejuſque differentialis — 2288650: ſemi-differentia verò eſt 17. 36, ejuſque differentialis eſt + 11542341. Quos differentiales adde erit ſumma + 9253691. à qua auſer differentialem dimidii baſis S Z. videlicet differentialem 23. 36. qui eſt 8328403, remanebit 925288 differentialis arcus 42. 21. 11. pro ſemi-baſi alterna. Adde ergo ſemi-baſes 42. 21. 11. & 23. 36.



23. 36. prouenient 65. 51. 11. pro majore caſu S T, & tum ſubſtrahe 23. 36. à 42. 21. 11, remanent 18. 51. 11. pro minore caſu T X, vel T Z. Hujus ergo differentialem + 10745201, adde ad differentialem complem. Z P, ſcilicet ad differentialem grad. 56, qui eſt — 3937709, & provenient inde + 6807492 Logarithmus complementi anguli P Z T. Arcus autem in tabula reſpondens huic Logarithmo 6807492 ex adverſo, eſt graduum 59. 35′. 11″. pro angulo P Z T, cujus anguli P Z T, quum angulus quæſitus P Z S, ſit ad ſemi-circulum reliquus (quod ſemper occurrit quum baſis alterna eſt major vera) erit neceſſe P Z S. eſſe graduum 120. 24. min. 49. ſect. alioquin ſi baſis vera alternam ſuperaverit, coincident anguli P Z T, & P Z S, & æquales erunt.

Admonitio.

TRes jam habes veros modos inveniendi angulos ex datis lateribus, quorum unoquoque tres variæ ſolvuntur hujus, & cujuſque trianguli quæſtiones. Ex datis enim elevatione poli, altitudine ſolis, & declinatione ſolis, dubitantibus ſatisfit ad quæſtionem qua vel plaga ſolis, vel ſecundò angulus ſitus & poſitionis ſolis, vel tertiò hora diei quæritur.

Huc uſque ex lateribus invenimus angulos. Superest ex angulis invenire latera.

II. *In omni triangulo ſphærico mutari poſſunt latera in angulos, & anguli in latera: aſſumptis tamen prius pro unico quovis angulo, & ſuo ſubtendente latere ſuis ad ſemicirculum reliquis.*

Exempli gratia.

Eſto triangulum Q R T, cujus ſint anguli Q 47. R 111. & T 34. Sumamus primò pro angulo quovis, videlicet pro R 111. ſuum ad ſemicirculum reliquum, quod eſt 69 grad. Dico hos angulos 47. 69. & 34. mutari poſſe in latera, & fiet ſuperius